



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Tractatvs De Necessitate Et Modo Ministrandi  
Sacramenta Tempore pestis**

**Chapeauville, Jean**

**Mogvntiæ, 1612**

Epistola Dedicatoria.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41077**



SERENISSI-  
MO PRINCIPI FER-  
DINANDO, DEI GRATIA AR-  
CHIEPISCOPO ET ELECTORI Co-  
loniensis, Sacri Romani Imperii per Italianam  
Archicancellario, Principi & Episcopo Leo-  
diensi, Monasteriensis, Coadiutori Paderbor-  
nensis, Comiti Palatino Rheni, vtriusq; Ba-  
uariæ, Westphaliæ, Angariæ & Bullonii Du-  
ci, Marchioni Francimontano, Comiti Loß-  
ensis, Longiensis, Hornensis, &c. Domi-  
mino meo clementissi-  
mo S.

Ioannes Chapeauillius S.

**S**uperioribus annis; &  
præsertim luctuoso illo  
1579. grassante per pa-  
triam vestram Leodien-  
sem pestilentia, Serenissime Princeps,  
cum miserandam simul ac horren-  
dam, non corporum modò, sed & ani-

\* 2. marum

E P I S T O L A

marum stragem conspexisse; plurimos videlicet ex improviso, veluti repente quodam turbidae tempestatis impetu, teterima pestis contagione deiici: ex his, alios in triuis, & alibi passim semianimes iacere: nonnullos lymphatorum instar, vi morbi per compita discurrere: plerosque omnes omni humano auxilio, solatioque destitui, quodque his pernitiosius est, perplures pastoribus destitutos, absque sacramentorum praesidio, non sine magno salutis æternæ discrimine, ex hoc sæculo migrare: mihi saepius in mentem venit, operæ me pretium facturum, si, quemadmodum probi corporum medici, Epidemiæ causis, dirisq; illius effectibus in tempore perquisitis, remedia simul, quibus corporum incolumenti consulant, studiosè conquirunt, & ea absque iniuria, Reipublicæ communicant: Ita ego, cognitis iam tunc periculis, in quæ fideles animæ, ob neglecta tunc tempo-

D E D I C A T O R I A.

temporis, aut perperam, nulliteruſ dispensata Sacra menta incurrere solent, pharmaca quædam spiritua lia, hoc est, Necessitatem et modum ministrandi tunc sacramenta, expenderem, ac difficultatum, quæ circa corundem administrationem eo tempore exoriri, moueriè solent, resolutiones ex sacris Scripturis, oecumenicis Conciliis, Patribus, Doctoribusq; scholasticis depromptas, in unam quasi arcam medicam, certa dispositione coaceruarem, ac opus habentibus communes facerem: quo ministri prævia illius lectione paratores, cautioresq; redditi, suo tempore, pro conscientiæ suæ exoneratione, & minore animarum damno peste infectis sacramenta dispensare possent. Huius propositi mei memoriam, dum eadem contagio, non raro per diuersas ditionis vestræ partes recurrens refricasset, & parochi vestri plurium ea de re quæstionum, resolu

\* 3 tionem

E P I S T O L A

tionem à me peterent, suffuratis à  
negotiis publicis aliquot lucubrati-  
unculis, chartas quibus memoræ er-  
go, quædam de hisce rebus annota-  
ram, reuidi; adiectisq; iis quæ deside-  
rari posse videbantur, opusculum  
hoc collegi, minutum quidem illud,  
nec vestra Celsitudine dignum, sed  
patochis in partem sollicitudinis ve-  
stræ ascitis, non parum utile ac com-  
modum. Siquidem cum difficultates  
quæ in sacramentis ministrandis eo  
tempore moueri solent, ex duobus  
hisce nascantur capitibus, videlicet;  
possintne ministri aliquibus ex cau-  
sis ab officio tunc excusari, vel nouis  
saltē ritibus & modis minus conta-  
gioni obnoxiiis sacramenta conferre.  
Vtrumque caput qua potui diligen-  
tia discussi, rationesq; vnde cumque  
quæsitas, quæ ministros excusare pos-  
se viderentur, iustæ vel iniustæ sint,  
examinaui, ex nouos inusitatosq; ad-  
ministrandi modos, quos pleriq; pa-  
stores, iusto timidiiores adiuuerunt  
tolera-

D E D I C A T O R I A .

tolerarine illi & probari possint , vel  
non possint , pro exilitate ingenii ,  
studiosè inquisiui : vbique in hoc  
intentus , vt horum sacrorum my-  
steriorum dispensatores , hoc peri-  
culoso temporis articulo nec iusto  
timidiiores , nec quam necesse sit au-  
dentiores reddantur ; sed medio iti-  
nere gradientes , non leuibus de cau-  
fis officium intermittent , ne iram  
Dei in se prouocent , & nimia sua  
securitate , animas occidant , cum  
plures in illo extremo agone animas  
perire certum sit , quæ sacramentali  
gratia adiutæ , cœlestis gloriæ fuif-  
sent participes : non etiam nimium  
liberales , officium sine necessitate  
interponant , ne temerè , aut certè  
magno Reipublicæ detimento , in  
tanta sui ipsorum necessitate , cor-  
poralis vitæ periculum adeant .

Tractabunt alii grandiores mate-  
rias , quibus ingenii laudem , & doctri-  
næ eloquentiæque admirationem

\* 4      conse-

E P I S T O L A

consequentur: mihi profectò sum-  
mam pertractasse, amplissimamque  
mercedem consequutus videbor, si  
minimus parochorum, vel vni peste  
laboranti, hac mea qualicumque in-  
dustria adiutus, opem attulerit salu-  
tarem. Quanquam nec sim nescius,  
mercedem ex Apostoli sententia la-  
borantibus reddendam, non secun-  
dum fructum, sed secundum labo-  
rem.

Hoc qualemcumque opusculum,  
Princeps Serenissime, destinatum  
iam erat Serenissimo Principi Er-  
nesto, Illustrissimæ memorię pa-  
truotuo, vt cui haetenus semper la-  
bores meos, totis iam triginta an-  
nis, pro Ecclesiæ ipsius Leodiensis  
seruitio, signanter verò parochorum  
ipsius & aliorum Ecclesiæ ministro-  
rum vtilitate, indefessè, pro virium  
mearum tenuitate præstos deuo-  
uissem: sed cum ante illius euulga-  
tionem præuentus sit a Domino, in  
æterna, vti speramus, tabernacula  
assum-

D E D I C A T O R I A.

assumptus, post se hic serenitatem tuam, præclaras animi illius dotes, & dignitates apprimè referentem, ad meam & Ecclesiæ huius Leodiensis, multarumque aliarum consolationem relinquens, in quo mihi & Christianis omnibus magnopere gratulandum est, debetur partus ille tibi, tuo quodam hæreditario iure.

Accipe igitur pusillum hunc laborem meum, eadem frontis serenitate, qua solitus est alios meos magnus ille Ernestus, ut fœlicissimis hisce auspiciis tuis, similiter parochis tuis vtilis: fidelibus vero peste infectis salutaris esse possit, illi benedictionem tuam impertire, meque quod pro tua benignitate & clementia facis, fauore & benevolentia prosequere. Ego vicissim (quod haetenus semper) conabor iis me (æmulis meis non obstantibus) dignum præstatere: preces vero maxime & sacrificia Dei beneficio assidua pro diu-

\* 5 turna

E P I S T . D E D I C .

turna felicitate interponam. Leo-  
dii ipsis Calendis Martiis, millesimo  
sexcentesimo duodecimo,

*Sereniss. Celsitudinis vestra  
humillimus seruus*

*Ioannes Chapeauillius.*



*Has*